



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

37. De Fortitudine

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

provoget Deum ad liberalitatem suam
vicissim nobis largissime exhiben-
dam, nec enim sinit liberalitate se vin-
ci Creator à creatura. 3. Quod ingens
mereatur gloriæ incrementum, iuxta
illud Christi: Mensuram bonam, & con-
fertam, & coagitatam, & supereffluentem
dabunt in suum vestrum. Eadem quip-
pè mensura, qua mensu fueritis, remetie-
tur vobis. Feruor in liberalitate profi-
ciendi.

Luo. 6.

XXXVII.

De Fortitudine.

I. **E**xpende quid sit Fortitudo, &
quomodo exercenda. Fortitudo
est virtus inclinans ad quanis ardua mor-
tisq; pericula suscipienda & perforanda
fortiter, ut neque prauè timendo, neque
temerè audendo ab honesto discedatur Veh.
Est virtus qua motus animi illi aduersan-
tes, scilicet timorem, ignauiam, timoris
vacuitatem, audaciam, tristitiam in re-
bus horribilibus, maxmè in periculis mor-
ris sustinerdis & repellendis moderatur.
Quæ sic perfectè potest exerceri, quo-
ad actus quidem internos 1. Volen-
do & desiderando quævis ardua forti-
ter aggredi & amplecti, subire quævis
labores, molestias, tædia, pericula,

ma-

maxime ob defensionē cuiuscunq; vir-
tutis. 2. Proponendo nihil vñquā ob
quascunq; difficultates, & tentationes
occurrentes Deo contrarium admit-
tere. 3. Statuendo in aduersis men-
ti's tranquillitatem conseruare, tribu-
lationes, dolores, tormenta, mortem
imperterritè oblata occasione sustine-
re: idque amore honesti supernatu-
ralis & diuinæ Maiestatis, invicto a-
nimi robore, infracta constantia, &
heroica promptitudine ad difficilio-
ra aggredienda & ferenda. Quoad
actus verò externos simili modo ea-
dem verbo & facto ipso præstando.
His expensis desideria insinuata sunt
elicienda.

H. Quam præclarè hanc fortitudi-
nem exercuere tot invicti Martyres,
maxime Regina Martyrum, passio-
nem filij ex prædictione Simeonis præ-
uisam iugiter considerans: eidem pa-
tienti compatiens: morienti intrepido
resignatoque animo astans! quan-
rò porro sublimius Christus tota vita
iugiter quę passurus erat clarissimè in-
tuens; ad passionem properans: an-
gores, persecutiones, opprobria & tor-
menta omnia intrepidè tolerans! Ze-
lus imitandi.

Hhh 6 III. In-

III. Incitamenta. 1. Quod Christus nos ad exercitium huius virtutis verbis excitet: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

2. Exemplō suo, & tot millium Martyrum, in quibus ipse mortem, mundum & diabolum triumphauit, ad idem inflammeret.

3. Promissis insuper æternæ vitæ inuitet: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Feruor in hac Christiana fortitudine proficiendi.

xxxviii.

De Magnanimitate.

I. **E**xpende quid sit & quomodo exercenda. Magnanitas est virtus, qua magna, & honorifica opera ob finem virtutis aggrediens honorem non ambit, & oblatum contemnit. Vel; Est virtus in omni genere virtutum inclinans ad opera magna & heroica, consentanea animo magno, magna gratia adiuto, magnis premijs illectio: cui opponitur prædientia cum ambitione & inani gloria, & pusillanimitas. Hæc sic potest exerceri, quoad actus quidē internos. 1. Desiderando cum Dei gratia ad supremum gradum triplicis perfectiōnis.